Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Et circuierunt castra sanctorum. Sancta appellantur castra quia semper dimicant
contra diabolum et eius membra. Sic enim dicitur ascenderunt super lati
tudinem terre et circuierunt castra sanctorum ac si diceretur. Per omnem
terram habitationis sanctorum ecclesiam pressuris arcauerunt. Bene
autem dicit ascenderunt contra electos. uidelicet tumentes et
caput suum iactantes qui dicit. Ascendam super altitudinem nubium
et similis ero altissimo. Et hi quidem super altitudinem nubium illi
uero super latitudinem terre ascenderunt quia uidelicet caput spiri
taliter contra dominum. membra uero generaliter contra electos eleuantur.
Et ciuitatem dilectam. Ipsa ecclesia est ciuitas a deo dilecta. de qua dominus
dicit. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Et psalmista.
Gloriosa dicta sunt de te. ciuitas dei. Et descendit ignis de celo
a deo. et deuorauit illos. Per ignem repentinum interitum antichri
ti membrorum illorum intelligere debemus. Vnde apostolus dicit. Quem
dominus iesus xpc interficiet spiritu oris sui. Et in euangelio ipse dominus dicit.
Cum dixerint pax et securitas tunc repentinus eis super ueniet interitus.
Sicut enim nunc iste mundus plenus est hominibus sic erit in ad
uentu filii dei. sicque cum repente dominus uenerit ad iudicium. quasi
ignis. id est sententia dampnationis subito descendet de celo.
et deuorabit impios non solum in corpore sed etiam in anima.
Vnde dominus in euangelio dicit. Sicut fuit in diebus noe sic erit
in aduentu filii hominis. Aliter: Supra legimus de predica
toribus sanctis. quod ignis exiens de ore illorum deuorauit inimicos
eorum. Quasi enim a deo ignis de celo descendit. cum per diuinum
uerbum predicationem regibus huiusmodi accrescit. sicque ipsa
predicatio que iustis est uita. reprobis est dampnatio perpetua. Vnde
dicit paulus. Alis sum odor uitae in uitam. alis odor mortis in mortem.
Et diabolus qui seducebat eos siue per se siue per membra sua mis
sus est in stagnum ignis et sulphuris ubi et bestia id est antichristus
et pseudoprophetam. Preteritum tempus positum est pro futuro.